

quod ens, quod esset simul, & non esset; sed impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo impossibile est, ut illud axioma sit falsum; ergo certitudo illius præsupponit certitudinem principii Contradictionis.

Inst. 1. Hoc axioma: Quodlibet dum est, est, est propositio simplex; istud vero: Impossibile est idem simul esse, & non esse, est propositio composita; sed propositio simplex prior est propositione composita: ergo certitudo hujus axiomatis: Quodlibet dum est, est: non deducitur ex certitudine illius: Impossibile est, &c.

Resp. C. Maj. Dist. Min. Propositio simplex prior est composita, quatenus est propositio, C. Min., quatenus est principium certitudinis, N. Min. Propositio composita majorem aliquando præferat evidentiam, quam propositio simplex. Quidquid sit de majori horum axiomatum evidentia in præsenti conclusione nihil aliud volumus, nisi propositionem hanc: Impossibile est, &c. a nulla alia propositione pendere; cæterarum autem propositionum certitudinem pendere a certitudine illius.

Inst. 2. Principium istud: Impossibile est &c. est propositio negans; istud vero: Quodlibet dum est, est: est propositio affirmans; sed ex propositione negante demonstrari non potest propositio affirmans. Ergo &c. Resp. Dist. Min. ex propositione negante demonstrari non potest propositio affirmans *directe & ostensive*, C. Min. *indirecte & apogogice*, N. Min. Itaque duplex est demonstrationis genus, aliud directum, aliud indirectum. Demonstratio directæ